

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 96. (*Neovidensis* 1805. Nro. 89.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter,
ac mortuos.*

Epistola scripta Joanni Petro Claris de Florian in campos Elysios.

Ex mundo superiore.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 27. Dec. 1805. (Neov. 5. Nov.)

Nobilissime Florian!

Nec ita splendide vivitur in hoc mundo, ut putabas, sed nec ita misere, uti severi morum Doctores arbitrantur, Affirmantes, hominem inter omnia animalia infelicissimum futurum, si tantum hujus vitæ spebus aletur, inter alia observant, belluas solummodo præsentibus malis affligi, homines contra sæpe etiam recordatione præteritorum, & metu futurorum cruciari.

Metus imminentis calamitatis adeo usitatus est hominibus, ut si omnes curas, et angustias, quas quis toleravit, in fine vitæ ejus in calculum vocarem, multo plus il-

lum passum fuisse deprehenderemus ex representatione malorum, quae ei nunquam obvenerunt, quam talium, quae ipsum revera mansissent.

Praeterea experientia testatur, nos saepe gravius affligi specie calamitatum, quam earum praesentia.

Haec naturalis impatientia praeterita quam citissime nascendi, et futura conjectura asequendi pluribus inventis dedit occasionem. Sed quantae in illis deceptiones? Et ubi est certitudo, et veritas harum diversarum inventionum? Nobis praesto sunt ephemerides, ex quibus omnia nova colligere licet, et tamen quoties inducimur in errorem?

Ita nobis proposuerunt declarationem Aerae Borussicae rerum novarum commentarii, ex quibus tamen nunquam potuimus velum ejus sensum haurire. Nova Hamburgensia eam totam suppeditant, uti sequitur:

Nota, quam Regius Borussicus Status Minister, Liber Baro a Hardenberg tradidit Mareschallo Düroc, et Gallico Caesareo Legato Domino Laforest Berolini:

Rex mihi imposuit, ut Suae Excellentiae Domino Mareschallo Düroc, et Domino Laforest, extraordinario Legato, et plena rerum agendarum potestate instructo Suae Majestatis Imperatoris Gallorum Ministro sequentia declarem. Suae Majestas nescit, an magis debeat violentias a gallico exercitu in

ejus provinciis factas mirari, an vero argu-
 menta, quibus eæ excusantur. Borussia suam
 neutralitatem palam fecit: Illa usque ad fi-
 nem memor suarum obligationum, quae in
 utilitatem Galliae cedebant, eas etiam cum
 discrimine semper observavit. Et quomodo
 haec semper aequalis fides, quae Galliae in
 praecipuis locis securitatem procuravit, est
 compensata? Merito itaque suæ existimatio-
 nis studiosus Rex, quæ ejus potentiae, &
 characteri debetur, cum intimo animi sensu
 legit scriptum excusationis secum a gallica lega-
 tione communicatum. Fit ibidem provocatio
 ad exemplum ultimi belli, & similitudinem cir-
 cumstantiarum, acsi exceptiones tunc factae
 non fuissent fundatae in certis tractatibus, qui
 per pacem cessarunt; acsi Imperator memi-
 nisset horum tractatum occupando electo-
 ratum Hanoveranum, qui per eosdem erat
 borussicae tutelae traditus. Objicitur igno-
 ratio nostrorum consiliorum, acsi illa in na-
 tura rei non continerentur, quamdiu de con-
 trario non fuerit conventum. Acsi solennes
 intercessiones provinciarum, & Ministri Suae
 Majestatis apud Suam Serenitatem Electorem
 Bavariae interpositae non satis demonstrassent,
 & acsi ego ipse manu tenens tabulas geo-
 graphicas in consilio cum Sua Excellentia
 Domino Marechallo Düroc, & Domino La-
 forest habito non declarassem, non posse
 exercitum transire per Marchionatus, ubi una
 exhibui viam communicationis pro transitu

opportunam, quam solam sibi Bavaria stipulata est. Adjicitur, in rebus tam gravibus categorica opus esse declaratione; quasi vero is deberet facere explicationem, qui pacifice certo innititur principio, & non potius is, qui ab illo vult recedere. Tandem adducuntur facta, quae in rumoribus incertis constiterunt, dumque Austriacis vitio dantur res, quas non commiserunt, comparatur modus agendi Regis erga illos, & gallicum exercitum.

Ex hac conjunctione dissimilium potuisset Rex de consiliis Imperatoris plura deducere. Hoc unum animo reputat, Suam Caesaream Majestatem habuisse motiva ita considerandi obligationes, quae inter illum, & Borussiam intercesserunt, ut in praesentibus rerum adjunctis cessent; cum itaque Rex forte proxime ad eum statum redigendus sit, ut omnia datae fidei consecret, judicat se ab omnibus prioribus obligationibus immunem.

Sed etiamsi ad pristinam iterum conditionem Rex redierit, in qua verae securitatis, & universalis justitiae conservatio locum habet, semper tamen eadem observabit principia, quibus hactenus regebatur.

Nihil erit illi antiquius, quam videre Europam frui pace, quam apud suum populum conservare omnibus viribus contendit. Primum ejus officium erit omni contentione adlaborare, ut diuturna pax restituatur, cui operi omnem suam operam, & sollicitudinem impendet.

Rex nihilominus in hoc nobilissimo proposito undique impeditus, nihil habet reliqui, quam ut securitati suorum populorum invigilet. Imposterum liber ab obligationibus, sed etiam destitutus auxiliis cogitur suum exercitum ad ea loca collocare, quae pro defensione Regni necessaria videbuntur.

Quare Vestram Excellentiam Dominum Mareschallum Düroc, & Dominum Laforest majorem in modum oro, ut hae declarationes Suae Caesareae Majestati submittantur. In reliquo summa cum veneratione persevero.

Berolini 14. Octobris A. 1805.

Hardenberg.

Hæc ad pacem magis, & neutralitatem, quam ad bellum tendens declaratio videtur exceptionem admittere propterea, quod Borussiae copiis Electoratum Hanoveranum ingredientibus, illico etiam Brunsvico-Luneburgensis Electoris Ministri cum insigni Electoris advenerint, atque prioris regiminis systema sub præsidio Borussiae reducerint.

Qua de re Hamburgensia Nova de 30 Octobris ita habent: Fertur pars gallici exercitus in Blumenau, & urbe Münden esse illocata, unde multi currus cum pane pro militibus abeuntes, iterum reversi sunt. Omnes portæ urbis Hamelæ clausæ sunt.

Nonnullæ gallicæ copiae, quæ non ita pridem versus viciniam Mündensem profectæ sunt, iterum pedem retulerunt.

Exercitus Borussicus sub Duce Serenissimo Principe Brusvicensi in circulo Hildesensi constat ex 5 legionibus Granatariorum, 28 peditum, 3 eadem peditum, sed leviorum, $1\frac{1}{2}$ venatorum equitum 5 turmis cataphractorum, 30 dimachorum, 10 Husarorum præter rem tormentariam. Primarium hospitium est Hildesiae, ducibus autem generalibus præest tribunus Scharnhorst

In Circulo vero Vestphalico sub Duce serenissimo Electore Hassiae componitur ex 2. legionibus Granatariorum, 10 peditum, 5 peditum leviorum, 10 turmis cataphractorum, 5. Dimachorum, 2. Husarorum, adest etiam res tormentaria. Generale hospitium habetur Lippæ.

Madrito 10. Octobris. Gadibus nunciatur, advenisse in portum Gibraltariæ 60 fere navigia Anglica cum 8 mille viris, qui in Italiam destinantur. Putatur Admiralis Nelson in his navibus navigare.

Si iisdem rumoribus credendum, classis gallica hispanicæ iuncta parat propediem excurrere.

B I O G R A P H I A E.

Florian (Joannes Petrus Claris) Dimachorum centurio in legione Ducis Penthiævensis, membrum veteris Academiæ gallicæ, nec non Academiarum Madritensis, Florentinæ, & Neapolitanæ, natus est in Occita-

nia A. 1755. Jam in juventute dedit specimina excellentis ingenii, ejusque poëtica opera excitarunt ubique attentionem. Erat deliciae suæ nationis, & quidem jure meritissimo. Præter diversas jucundas narrationes dedit numeris omnibus ad solutam versionem Galatæe Cervantis, cujus etiam Dominum Quixote in gallicum idioma traduxit, sed qui primo post ejus mortem typis vulgatus fuit. Solæ ejus fabulæ, quæ incomparabili modo scribendi Lafontaino nihil cedunt, merentur immortalitatem; Inter eximia tamen ejus opera refertur historica fabella romanensis *Numa Pompilius*, quam brevi excepit amaenissime scripta Ecloga *Estella*, ac denique utilissima historica descriptio *Gonsalvi de Cordava* Hæc opuscula non tantum in Gallia summa cum approbatione lecta sunt, & sæpe recusa, sed etiam in omnes europæas lingvas, in germanicam autem sæpissime translata. Cuncta tamen hæc merita, innocens vivendi ratio, et amore dignissima indoles non poterant eum tutari contra furorem Robespierrii. Frustra ille data qualibet occasione conabatur sua genuina de Republica sensa probare, adductisque variis locis ex suo jam ante revolutionem conscripto *Numa Pompilio* demonstrare, se ante rerum conversionem prædixisse futuram novam suæ Patriæ faciem; sed enim elegantia scribendi, et tota agendi ratio displicuit Tyranno Robespierrio, qui eum paucis ante finem suæ

ferreae dominationis decadibus carceri mancipatum parabat ad interficiendum manu carnificis. Ille equidem e primis erat, qui sublato hoc Tyranno libertatem receperunt, verum haec immerita vexatio tenerum ejus animum adeo fregit, ut sine ullo gravioris infirmitatis signo ex sola virium debilitate post 14 dierum intervallum vitam finiverit Parisiis die 12. Septembris A. 1794. Plenam ejus operum editionem in 15 Tomis procuravit Didot; Ejus elucubratio: *Oeuvres posthumes* publici juris facta est A. 1799. Etiam Lipsiae ejus opuscula in lucem emissa prodierunt.

In eadem hac Officina Belnayana sequens, praeter complures alios, liber venalis prostat.

Okos Gyermekek nevelés példája, a' köz-nép hasznára. Mellyben rövideden előadatik, miképpen kell a' Gyermekeket születések napjától fogva, mind testi, mind erköltsi tulajdonságaikra nézve hasznosann és okosann nevelni. Falusi Mihály által. 8. 1805. 48 kr.

Egymással-való barátságos beszélgetés, melyet eszve-szedett, és a' főbb engedelméből közre botsátott Sz. Benedek' rendén lévő Ph. Hollósi Egyed. Második megjobbított ki-adás. 8. 1805. 48 kr.
